

§ VI. — *De Sabbato sancto.*

1432. Pro hodierna functione paranda sunt in atrio Ecclesiae, seu extra portam principalem, vel si quid impediatur, in ipso aditu Ecclesiae aliquantulum ad partem quae respondit lateri Epistolae maioris Altaris: mensa alba tobalea obducta; et super ipsam: Missale pro benedictione ignis et incensi; Manipulus, Stola et Dalmatica albi coloris pro Diacono; Manipulus violaceus pro Subdiacono; parvae candelae, vel etiam laterna, si opus sit, et aliqua sarmenta sulphurata ad accendendum lumen.

1433. Si autem ex deficientia Cleri Ministri haberi nequeant, tunc pareatur simpliciter Manipulus, Stola et Dalmatica albi coloris pro Celebrante, qui post benedictionem vices Diaconi aget; et si pauci etiam habeantur Clerici, poterunt super eandem mensam poni: patera cum quinque granis incensi figendis in Cereis, thuribulum sine igne et navicula cum incenso, ac vas aquae benedictae cum aspergillo: attamen convenientius erit ista disponi in Sacristia a Clericis deferenda, ut dicetur.

1434. Prope mensam ad dexteram erit in sua basi arundo floribus et taeniis eleganter ornata, ita tamen, ut arundo oculis omnium evidenter appareat, cum tribus candelis in summitate ipsius infixis, ita in calce simul connexis, ut unam ceram efforment, ac ita dissitis in vertice, ut trianguli similitudo exoriatur, ad mysterium Unitatis et Trinitatis symbolice significandum. Nullo perinde modo licet loco arundinis baculo uti, quamvis in

arundinis similitudinem elaborato, nec candelas divisim in cornucopiis in arundine infixis ponere. Singula in hodierna functione aliquod mysterium innuunt.

1435. Contra portam Ecclesiae positus sit focus decens, in quo parati habeantur carbones accendendum in Choro dicuntur Horae minores, et forceps ad ignem sumendum. Adnotandum autem serio est, ignem accendi absolute debere ex favillis excussis e lapide seu silice, uti statuit Rubrica Missalis: lapis enim angularis est Christus, cuius Mors per extinctionem omnium luminum figuratur, et est eiusdem Resurrectionis e sepulchro lapideo figura ignis ex silice excussus, praeterquamquod et apertam falsitatem innueret Oratio, qua in benedictione utitur Ecclesia, imo nullum sensum haberet; dicit enim: — *Deus, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, claritatis tuae ignem fidelibus contulisti: productum e silice.... novum hunc ignem sanctifica* etc.

1436. Si Ecclesia nostra sit parochialis, vel ex aliqua ratione in ipsa habeatur Fons baptismalis, octiduo ante Pascha educatur ex ipso Fonte aqua, aliqua tantum retenta parte pro necessitatibus, apertus Fons maneat, ut inde graveolentia evanescent. Hac mane, vel pridie in sero, recte undique extensus limpida aqua ita impleatur, ut post benedictionem pars auferri possit, et sufficiens quantitas maneat ad Baptisma administrandum usque ad futuram benedictionem. In promptu ideo sint vasa, in quibus pars haurienda ponatur. Fons ipse circumornetur floribus et herbis odoriferis, et ipsum pavementum iisdem sternatur. Prope Baptisterium pareatur alia mensa alba cooperta tobalea, et super ipsam

disponantur: urceus cum aqua, pelvis, manutergium, pelvicula cum medulla panis et fragmentis aliquibus mali medici pro ablutione manuum Celebrantis; alia pelvicula cum ampullis sacri Chrismatis et Olei Catechumenorum; Missale velo violaceo obtectum ad usum Celebrantis; spongia vel mantile ad abstergendam aquam in labro Fontis suo tempore, et pannus subtilis pro extergendo Cereo, cum elevatus fuerit ab aqua; vas perpolitum aliquod ad aquam hauriendam ex Fonte ante infusionem Oleorum; Stola violacea pro Sacerdote aliquo si adsit; et vasculum vacuum cum aspergillo, ad aspersionem suo tempore faciendam. Si vero aliquis esset baptizandus, parentur in alia mensa necessaria pro administratione Baptismi, et Stola ac Pluviale albi coloris pro Celebrante.

1437. Altare maius solemniter paretur cum sex candelabris et totidem cereis albis ac Cruce discooperta in medio; super pallium album aliud violaceum positum sit, auferendum post Litanias. In Presbyterio ad latus Evangelii, adsit pes vel basis aliqua pro firmanda arundine; legile maius velo albo contectum pro Praeconio; Cereus magnus benedicendus, positus non in cornucopio, sed in magno candelabro vel columna, cum ellychnio concinnato ad prompte flammam recipiendam, et quinque foraminibus in quibus figenda incensi grana in forma Crucis dispositis. Ad latus Epistolae, in credentia albo panno tecta: Missale velo albo ornatum pro Praeconio et Missa, et aliud violaceo velo obductum pro Prophetiis, et poterit idem esse quod ad ianuam Ecclesiae paratum erat; item omnia necessaria pro Missa solemniter, nempe Calix cum ornamentis

albis, pelvicula cum ampullis vini et aquae, manutergium, Velum humerale pro Subdiacono, si adsit. Ad scamnum autem, vel etiam super credentia; Planeta et Manipulus coloris violacei pro Celebrante, et Manipulus ac Stola eiusdem coloris pro Diacono (Stola erit quam deposuit ad ianuam). Si vero benedicendus sit Fons, ponantur super eandem credentiam candelabra cum candelis pro Acolythis, alioquin parentur in Sacristia. Adsint quoque apud credentiam cussini violacei, adhibendi in prostratione ad Litanias; locis quoque suis paratae sint lampades suo tempore accendendae.

1438. In Sacristia disponantur supra mensam paramenta alba pro Missa solemniter, nempe Planeta, Stola et Manipulus pro Celebrante; et si habeantur Ministri, etiam Tunicella et Manipulus pro Subdiacono, Dalmatica et alia pro Diacono erunt ad ianuam Ecclesiae. Item ponantur in alia mensa paramenta coloris violacei, idest pro Celebrante Stola et Pluviale, et pro Diacono Stola; Manipulus pro Subdiacono erit ad portam, pro Diacono ad scamnum in Presbyterio, uti Manipulus et Planeta pro Celebrante: pro singulis autem in promptu sint Amictus, Albae, et Cingula. Parata quoque erunt Crux processionalis, superpellicea saltem quatuor pro Clericis, aliud pro Sacerdote, qui post Missam deferre debet Sacramentum ad Altare, et hinc Stola alba, bursa cum Corporali, umbella, intorticia seu candelae etc. Praeterea optimum erit, si in Sacrario, potiusquam ad portam Ecclesiae, praeparentur thuribulum cum navicula, vasculum cum aqua benedicta et aspergillum, patera cum granis incensi figendis in Cereo; et si non sit benedicendus Fons, et

Missa celebretur cum Ministris, debent in Sacristia parata esse candelabra pro Acolythis ad Missam.

1439. Omnibus sic paratis, hora competenti pulsabitur crotalum ad congregandos Fratres, et dum in Choro recitantur Horae, ritu duobus anteactis diebus usitato, ignis ad fores Ecclesiae accendatur a Clerico, vel a Sacrista modo quo dictum est; focus ponatur in medio atrii, vel extra portam in ipso aditu. Interea in Sacrario Celebrans (et Ministri si adsint) induantur paramentis violaceis supranotatis, et Clerici superpelliceis. Finita Nona ordinetur processio.

1440. Praeibunt tres Clerici, scilicet medius Acolythus ferens vasculum aquae benedictae et aspergillum, a dextris ipsius Thuriferarius cum thuribulo vacuo et navicula cum incenso, a sinistris alter Acolythus gerens pateram cum quinque globulis incensi; procedat hinc Subdiaconus (vel Clericus) cum Cruce processionali, tum Fratres qui adsunt bini secundum ordinem; ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, uterque capite tecto, caeteri omnes denudato capite. Si Ministri non adsint, possent comitari Celebrantem duo Clerici, dispositis antecedenter omnibus ad ianuam Ecclesiae, si opus sit, et unus tantum posset Crucem praecedere manibus iunctis.

1441. Cum perventum erit ad atrium sive in aditum Ecclesiae, Subdiaconus (vel Crucifer) subsistet contra portam, si foris facienda sit benedictio, alias in limine portae, facie versa ad Altare maius; Fratres disponentur circa portam, iuniores prope Crucem, caeteri per ordinem; Celebrans stabit contra Crucem versis renibus Altari, ita ut focus et mensa sint inter ipsum et Cru-

cem; hinc detecto capite, legens ex Missali vel posito super legile, vel a Clerico ante ipsum subiecto, dicit aut cantat in tono feriali *Dominus vobiscum* et tres Orationes pro benedictione ignis, deinde absolute, sine *Oremus*, Orationem aliam *Veniet quaesumus* ad benedicendum incensum. Dum autem Celebrans incensum ultima Oratione benedicit, Thuriferarius accepto forcipe, prunas benedictas ponit in thuribulo, quod postea ante Celebrantem sustinet: qui, naviculam ministrante Diacono vel Clerico, imponit incensum cum consueta benedictione et osculis. Accepto hinc aspergillo a Diacono vel Clerico, ministrante cum osculis, Celebrans primum ter aspergit grana incensi, nempe in medio, a dextris et a sinistris, et eodem modo deinde ignem, dicens submissa voce *Asperges me* sine Psalmo, et restituito aspergillo accipit thuribulum et similiter thurificat incensum et ignem. Thuriferarius, recepto inde thuribulo, alium novum ignem in ipsum immittit ¹.

1442. Diaconus tunc deposita Stola violacea (quae ad scamnum in Presbyterio deferenda erit), assumit Manipulum, Stolum et Dalmaticam albi coloris, Subdiaconus Manipulum violaceum ². Secundus Clericus interim accendit ex novo igne parvam candelam, quam si opus sit, recondit in laterna; quartus accipit pateram cum globulis incensi; Thuriferarius iterum sistit coram Celebrante, qui denuo ritu consueto ponit incensum in thuribulo, ministrante Diacono, qui restituta navicula accipit arundinem, quam tenet utraque manu ³.

¹ Manuale Rit. Benedict. XIII, t. 6, c. 2, § I, n. 10.

² Caeremon. Episcop. l. II, c. 28, n. 1.

³ Martinucci, l. II, c. XXVII, n. 33.

1443. Si Ministri non adsint, Celebrans, completa benedictione ignis et incensi, deponit ipse paramenta violacea et induit diaconalia alba; ponit hinc incensum in thuribulo cum benedictione, accipit a Clerico arundinem, et inde complet illa omnia quae a Diacono facienda essent, quaeque cum pertineant ad Diaconum, nullo modo fieri debent in paramentis sacerdotalibus. Pro ipso itaque Celebrante vices faciente Diaconi, valent quae de Diacono deinceps dicuntur.

1444. Hisce peractis, ad benedictionem Cerei proceditur sequenti ordine: praecedit Clericus ferens pateram cum globulis incensi a dextris Thuriferarii leviter thuribulum fumigantem agitantis; inde Subdiaconus (seu Clericus) cum Cruce; Fratres deinde omnes bini per ordinem; postea Diaconus cum arundine, habens a sinistris secundum Clericum cum candela accensa; ultimo Celebrans iunctis manibus et capite tecto: caeteri omnes detecto capite incedunt. Ingressi omnes in Ecclesiam sistunt: Diaconus inflectit arundinem aliquantulum, ut Clericus unam accendat ex tribus candelis, erigit deinde arundinem, genuflectit, et cum ipso omnes, excepto Crucifero qui semper stabit; genuflectet et Celebrans, et caput deteget. Diaconus sic genuflexus cantat *Lumen Christi*, et omnes eodem tono respondent *Deo gratias*, et surgentes omnes procedunt usquedum Diaconus pervenerit ad medium Ecclesiae, ubi eodem modo, accensa secunda candela, genuflectunt, et Diaconus voce aliquantulum elata iterum canit *Lumen Christi*, et Chorus aequaliter respondet *Deo gratias*.

1445. Proceditur inde usque ad Altare. Crucifer cum Thuriferario et Clerico deferente grana incensi

sistunt ante Altare, Fratres vel a lateribus se disponunt, vel ibunt ad subsellia Chori; et cum Diaconus ante Altare pervenerit, et Celebrans ingressus saltem fuerit Presbyterium, tertia candela accenditur et omnia repetuntur quae supra, sed vox adhuc magis extollitur, et responso *Deo gratias* omnes surgunt. Thuriferarius recedit versus latus Evangelii ante gradus Altaris, Clericus ferens grana incensi versus latus Epistolae, Subdiaconus seu Crucifer a dextris Thuriferarii; qui tenet candelam accensam, ipsam extinguet et deponet super credentiam, ex qua accipiet Missale pro Praeconio et tradet Diacono ab ipso accipiens arundinem, et inde subsistet a sinistris illius qui fert grana incensi.

1446. Celebrans facta reverentia Cruci, ascendit ad Altare et osculatur illud in medio, ibique consistit. Tunc Diaconus, accepto Missali, ascendit gradus Altaris et genuflectit in extremitate suppedanei, ubi benedictionem petit ut ad Evangelium, non praemittens *Munda cor meum*, sed dicens tantum: *Iube Domne benedicere*; Celebrans ad illum conversus ipsi benedictionem elargitur dicens: *Dominus sit in corde tuo* etc. sed loco *Evangelium suum* dicit: *suum paschale Praeconium in nomine Patris et Filii* etc. Diaconus manum Celebrantis non osculatur, sed descendit de Altari et sistens medius inter Subdiaconum et Clericos, facta simul cum aliis, exceptis Crucifero et Clerico arundinem gerente, genuflexione, pergit inter ipsos ad legile, super quod deponit et aperit librum; Subdiaconus seu Crucifer cum Cruce sistet a dextris Diaconi prope legile, facie et Crucifixi imagine versa ad Altare; a sinistris Diaconi stabit Clericus cum arundine,

et prope ipsum qui fert grana incensi, ipsique ad Altare conversi. Thuriferarius a dextris consistens offeret thuribulum Diacono, qui statim, nihil praemittens, librum adolebit ut ad Evangelium, et reddito thuribulo incipiet absolute *Exultet*, ad cuius initium Fratres omnes in Choro surgent et capite detecto stabunt usque ad finem. Celebrans, manibus iunctis, detecto capite, stabit in cornu Epistolae conversus ad Diaconum; Thuriferarius deferet thuribulum prope credentiam, ignem ab ipso retrahet, et redibit ad legile prope Subdiaconum.

1447. Si ex deficientia Ministrorum Celebrans ipse vices gerat Diaconi, tunc post tertium *Deo gratias*, tradita Clerico arundine et accepto libro, non ascendet ad Altare, sed genibus flexis in infimo gradu Altaris dicet: *Iube Domine benedicere*: et subiunget: *Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem suum paschale Praeconium. Amen.* Surget, et facta cum aliis genuflexione in plano, ut supra dictum est, peraget deinde omnia, quae dicta et dicenda sunt de Diacono: cantabit autem *Exultet*, aut alta et hilari voce leget, prout circumstantiae ferent.

1448. Cantatis verbis *curvat imperia*, Diaconus cum Clerico gerente grana incensi accedit ad Cereum, et adhibito scabello, si opus sit, infigit in foraminibus praeparatis quinque grana hoc ordine:

| | | |
|---|---|---|
| 1 | | |
| 4 | 2 | 5 |
| | 3 | |

Redit hinc ad legile et prosequitur; Clericus vero pergit ad credentiam, facta in medio genuflexione, deponit

pateram vacuum et assumit candelulas vel gossipion ceratum, ac repetita genuflexione redit ad primum locum. Post verba *rutilans ignis accendit*, iterum Diaconus accedit ad Cereum, secum habens Clericum gerentem arundinem, qua accepta, Cereum ex ipsa accendit. Reversus ad legile cantum continuabit, et Clericus receptam arundinem ponet in sua basi prope Altare in cornu Evangelii. Et quum Diaconus cecinerit verba *apis mater eduxit* et aliquantulum silebit, lampades in Presbyterio et postea per Ecclesiam accendent Thuriferarius et alii Clerici, candelulis prius ex Cereo vel ex Tricereo accensis, et post brevem pausam Diaconus cantum usque ad finem prosequetur, omittens Orationem, cum imperium Romanum sublatum sit, pro Imperatore, ut pluries decretum est.

1449. Finito Praeconio, Diaconus librum claudit et relinquit in legili; Subdiaconus Crucem tradit Clerico sibi proximiori, qui eam applicabit muro a latere Evangelii (si Subdiaconus non adesset, per se id Crucifer aget); hinc omnes ante Altare genuflectent; Celebrans a loco in quo stat Crucem reverebitur, descendet a latere Epistolae et ad scamnum cum Ministris veniet, ubi, deposito Pluviali, assumit Manipulum et Planetam violaceam; Diaconus exuit paramenta alba et sumit Manipulum et Stolum violacei coloris. Si vero vices Diaconi egit Celebrans, tum, clauso libro super legili, veniet cum Clericis ante Altare, et facta genuflexione accedet ad scamnum a latere Epistolae, et depositis paramentis diaconalibus albis accipiet sacerdotalia violacea. Interea unus ex Clericis vel Sacrista denudet legile velo albo, et opertum violaceo ponat in medio